

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

ANGLI IN COLONIIS DEDUCENDIS PRINCIPES

S AEPENUMERO audivimus disputari quidnam potissimum efficerit, ut Anglorum gens ante alias in coloniis deducendis princeps exstiterit. Sunt qui vigorem insitum tanquam huic genti proprium extollant, neque ob aliam causam Britannos tot maria, tot terras aequo animo transluisse perhibent. Quibus responderi potest, alias nationes, inter quas libentissime Gallos nominaverim, parem vigorem, parem animum ad ignotas regiones explorandas exhibuisse. Profecto si ad trutinam expendas, invenies exploratores Gallos non minus gloriae adeptos fuisse quam ipsos Britannos. Fidem faciunt nomina La Salle, Cartier, La Pérouse: denique nulla orbis parte non nomina exploratorum Gallorum chartis geographicis legenda exstant. Neque tamen cuiquam nationi nisi Britannicae dedit fortuna colonias transmarinas sibi adiungere, ita ut partem integrum imperii efficiant.



Nobis autem videtur ingenita haec potestas, quam apud Britannos praecipue notavimus, in hoc maxime niti, quod ea gens potissimum solitudinem aequissimo animo patiatur. Ceterae gentes, et praecipue latina vel celtica stirpe oriundae, societatem civium suorum tanquam maximam voluptatem concupiscunt, solitudinem ante omnia fugiunt et expavescunt. Britannorum gens taciturna et, ut aiunt, « quibus cordi est Britannos laedere », morosa, non tam societas gaudia ut summam beatitudinem vitae praebentia respicere solet, quam libertatem agendi pro voluntate sua, tyrannorum expertem, legum onere quam maxime solutam. Qua cupidine libertatis impulsu, vertere solum identidem cives nostri: primum in America civitates florentissimas condiderunt exsules facti ob religionem, tunc etiam alii quibus invitis durum erat potestatem regiam et edicta minus civilia tolerare.



Talibus nova erat vitae species ineunda: incultae regiones aratro domandae, frigora et calores tolerandi, famis atque sitis pericula tentanda. Neque minus hodie quam olim exsulum agmina quotannis patriam linquere videre praestet: his non hercle magis servitii iugum timendum, sed inopia suasit ut exirent, ambitio iter monstravit. Itaque spe vitae allevandae freti, solitariam vitam multos per annos degere haud recusant, alimentis perpaucis contenti, silvis caedundis, ovium greges aut boum custodiendo

occupati, taedium solitudinis longe miro labore allevantes. Britannis quoque laudi maximae habendum est quod perraro mulieres indigenas in matrimonium ducunt, id quod Hispanorum multi facere consueverunt: vicit quippe superbia insita genti, ita ut sanguinem purum a contactu alienorum conservaverint Britanni, id quod negligendo alii degeneraverunt.

H. A. STRONG.

HUMANI ASCENSUS

E GREGIUS optimusque vir haud dudum in hoc commentario de *Pithecanthropo erecto* scripsit, quem evolutionis sectatores attulerunt tamquam argumentum doctrinae suae; quamvis intimius persipientibus nihil inde adiumenti accedere ad eam ipsam doctrinam videatur. De hac maximi momenti re iterum verba faciemus, cum scriptor perinsignis, de quo *Vox* iam aliqua dixit, maximis laudibus cumulatus, poeta humanissimus, singulari altissimarum rerum amore exardescens, studio in fidem patriamque permotus, nonnullos libellos, nuper collectos, ediderit. In libro enim cui titulus: *Ascensioni umane*, id sibi proposuit Antonius Fogazzarius, leges quae penitus evertere christianaे religionis principia viderentur ad eas ipsas doctrinas referre, fideique obtrectatores, qui scientia temere utuntur, suis ipsorum argumentis refellere. Quae vos, inquit, in lumen protulisti, vobis minime favent (1).

Illud ipsum quod gravissimum difficillimumque videatur, hoc est, species omnes humani generis historiam, atque anteactam vitam illius, ut ita dicam, paullatim conscribere, ac genus istud species omnes praeparavisse, illud ipsum, inquit, a christianis doctis potest equidem, si placet, admitti.

Augustinus, Thomas, Rosmini, alii quorum nomina omnium in ore versantur, doctissimi catholicae fidei doctores; Darwin, Wallace, Huxley, Haeckel, novarum doctrinarum autores, ceterum inter se admodum dissimiles, una hi omnes veritatem animadventi lumen offerre, atque inter se concordiam inire possunt.

Auctor noster, instituta comparatione inter Darwinum et S. Augustinum, ait se velle ostendere Christi vexillum victoriae signum (ut in litteris praepositis scribit) adversus ignorantiam (2). Mea quidem sententia, multi poterunt a clarissimo Vicentino viro circa evolutionis doctrinam dissentire; omnes tamen altos eius animi motus huiusmodi admirari, favore ipsum prosequi debent. Si quis autem a nobis quaerat, quae sit istius utilitas operis: Nonne utilissimum hoc est, respondeamus, huiusmodi disputationes minime ad fidei integritatem, ad quemcumque.

(1) « Questa che voi chiamate *evoluzione*, e che io dirò invece *ascensione* dalla materia inorganica all'organica, dal bruto all'uomo, dall'orda selvaggia alla società civile, non è anche il più fermo, il più tranquillante indizio di altre ascensioni in altri mondi, cui lo spirito umano purificato s'avvia? » — A. FO-

GAZZARIO, *Ascensioni umane* (Mediolani, 1899).

(2) « ... mostrare spiegata, all'avanguardia della scienza, una vecchia bandiera cattolica ». Vide, sis, etiam ALOISIAE AN-

ZOLETTI orationem nuper Venetiis habitam *Pro novo scientiae*

cum religione pacto, pag. 37 et seqq. Ita et IOAN. SEMERIA, *Pro*

scientia.

que perveniant exitum, pertinentes ceterum demonstrare?

Collectosque velut montano vertice flores

omnes « ante Dei solium » humanae sapientiae meditationes ponere? Nam dubiorum expers quorumdam gravissimorum evolutionis doctrina mihi ipsi minime videtur, cum in varias non iniuria reprehensiones incurrat, cum inter ceteras species atque hominem immensum discrimen sit, in corporis quoque forma, cumque vinculum illud quod in ceteris animalibus facilis potest admitti, ubi nostra maxime intersit, ibi interruptum videamus, ita ut scientiae certa ratione quod scientiae sub specie oblatum est nullo modo adhuc demonstratum dicere omnino queamus, atque praesertim geologica quaedam argumenta, quae ab Antonio Stoppanio iam prolata accepimus, acriter obstare videantur. Sed tamen, cum vel ex audacissima hypothesi nullum detrimentum fides nimis habeat, gudio maximo afficiar, ita ut nova et admiranda spectare quodammodo videar atque animum aestuante ventura equidem intuentem extra se fere rapi confitear.

In Germania anno MDCCCLXXXIV comparatio illa, de qua supra dixi, proposita est. Omnes autem scimus doctrinas evolutionis ipsas minime sibi, nisi in operis summa, constare.

Plurimorum, ut Darwin, Cope, Romanes, alius in nonnullis rebus alii adversatur, iisque dissimiles profecto sententiae sunt; communem originem tantum meminisse iuvat ab iis omnibus positam, per gradus, quorum sensu humani generis historia caret, vel per heterogenesis, ut Koelliker et Wigand aiunt, qui antiquitus constituae sententiae: « Natura non facit saltum » minime obsequuntur.

Certe de humano genere stultas impiasve doctrinas a sensu communi abhorentes brevi, heu, colligere non possit qui eas tantum rapidissime animadvertisat, atque Fogazzarius ipse noster Vogtii memorat insolentem stultitiam, et imbecilles audacesque simul Haeckelii opiniones, qui odio antitheologico vecors simulationem conatur misserrimam. Sed in Anglia atque in civitatibus Americae foederatis, in Gallia et in Belgica exempla non per pauca proferre possimus, quibus viros multis sui temporis scientiae copia et ingenii acie praestantes conciliationem, quae in Italia fere audacissima videtur, ibi promovisse accipiatur. Atque in Gallia episcopus ipse Freppel alios de ista conciliatione disserentes audiebat, cum ea insolens illi ceterum videretur.

Hic, idest in Italia, contra, dicit Fogazzarius noster, nimia simplicitate concedimus talem conciliationem fieri non posse. Ita stulti quidam hic aiebant eum fecisse, ut si quis amphoras veteres vini novi causa factas esse censeat. Ad quae leniter subridens respondit noster, nec novum esse vinum, illas amphoras necnon idoneas; superesse vel aliis in crastinum vindemolis (1).

Quis enim adversari poterit, cum verba Augustini existent probabilem eam opinionem asserentis, quae omnia potentialiter, causaliter, primordialiter facta ait « sicut in ipso grano invisibiliter erant omnia simul quae per tempora in arborem surgant »? Atque vel stili audacia quae hodierna nuncuparetur, dum eam Christus ipse nos docet, haec Augustinus adiicit: « Illud ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanae rationi tollerabilius mihi videtur: Deum in illis primis operibus, quae simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse

(1) FOGAZZARIO, *Per la bellezza d'un'idea* (Florentiae, 1892).

quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cuius corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset causaliter, secundum quam fieret, cum faciendum esset, corpus humanum. Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi, anima vero iam ipsa crearetur sicut primitus conditus est dies et *creata lateret in operibus Dei*. Atque in libro *Confessionum* duodecimo in terra incomposita evolutionis causam agnoscit, « informe quiddam » « nihil aliquid » quod idem certe non est, quippe vero in mentem venit simul cum *vi essentiali* Wolfi, *nisu formativo* Blumenbachii, cum illo quod *innere Ursache* (intimam causam) ipse Wigandus appellat, et Mivart *internal law* (intimam legem), qui postremus librum suum Newmanno sapientissimo cardinali dicavit; quod melius Lhercle *principio senziente organizatore* etiam Rosmini posuit, « Mutabilitas enim », ait Augustinus, « capax ipsa est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles » (1). Atque extra se raptus, « Nonne tu, Domine », inquit, « docuisti me? » (2) Thomas autem cum metaphoricam explanandi rationem, circa verba *Geneseos* illa: *mane et vesper*, repellat, quam Augustinus adhibuit, de ceteris, quae ad *potentialem supra dictam rationem* pertinent, tamen dicit: « Haec opinio plus mihi placet ». Et de reptilibus avibusque quas *stirpe ab una* cum illis genitas Ambrosius cecinit, dicit Thomas idem: « ...Principium activum fuit verbum Dei, quod ex materia elementari produxit animalia vel in actu ... vel in virtute, secundum Augustinum » (3). Atque alibi: « Species novae, si qua apparent, praestiterunt in quibusdam activis virtutibus ». De iis verbis: *germinet terra*, Thomas, « ad productionem terrae », inquit, « sequitur collatio potestatis ipsi terrae ad producendum terrae nascentia; pro nihilo enim materia requireretur, nisi illi data esset seminalis potentia ». Atque fidei vias omnes vel longinquas praeruptasve Aquinatem aperuisse hoc iure compertum habetur: « Sic ego ... quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes concorditer dicunt; quo autem modo et ordine factum sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens ». Ita et Chrysostomus « in aquis efficacem quamdam et vitalem operationem » fuisse censem. Alii quoque corpus humanum delineatum et imperfecte dispositum tempore introductio nem animae praecessisse, ac proinde ab imperfecto ad perfectum, tamquam ad ultimam dispositionem pervenisse aiunt; et Cornelium a Lapide ipsum, qui tamquam Suarez huic adversatur hypothesi, opinionis huius de infimis animalibus tamen non taedet, qui vero seminali tantum ratione formata ea ponit, quae (hoc dicit cum plerosque usque ad Tyndall et Pasteur ea quae *de generatione spontanea* appellatur hypothesis fefeller) « per influentiam coelorum ex putrida materia terrae aut aqua » gigni solent. Quae verba quod Rosminius de hypothesi eadem vel factis confirmata sapienter dixit in mentem simul inducunt (4).

Asa Gray animadvertisit evolutionis leges valde confirmare christianas doctrinas, quae humanam vitam esse aiunt exsilium atque experimentum; leges, inquam, quae ordinem, non causam; modum, non rationem, nisi extrinsecus, naturalium factorum spectant. Atque christianae quidem doctrinae, extra hanc ipsam vitam, perfectiorem formam una cum corruptione prioris extantem ostendunt. Ac evolutionis leges rerum unitatem temporibus etiam et etiam firmare videntur. Ut autem Plato animo qui veritati studet corpus impedimentum existimat quod τῆς ἀληθείας ἀλτεσσαί nequit, ut Allighero coelestibus astris illato corpore beatorum simulacra tenuissima ac nulla postremo videntur, ita et Christi doctrinae animorum corporumque eorumdem hominum atque inferioris naturae ipsius futuram perfectionem pollicitae sunt. « Omnis », ita Paulus, « adhuc creatura ingemiscit; veritas autem liberabit nos ».

(1) *Confess.* XII, vi.

(2) *Confess.* XII, iii.

(3) *Summ.* P. I, Quaest. 71; FOGAZZARO, *Per un recente raffronto*, etc., Venetiis, 1891.

(4) *Psychologia*, lib. IV c. xiv.

Dolor est exspectatio; scientia quoque hoc scimus: *il dolore è veramente una cosa augusta* (1).

Atomus quae minima et incomposita, cum aliis commixta corpus fit: intima lege, constituto ordine, fit ex glande quercus altissima; viribus collatis mundi aedificatorem natura confitetur ubique; parvus lapis, magna arbor, homo superbus, quae fuerint, quae sint, quae futura erunt, illa divina verba confirmant: « Omnia fecisti in numero et pondere et mensura ».

Minimi certe quasdam falsas opiniones facere, vehementer etiam damnare debemus; sed christianus qui iis tantum assentitur, quae scientiae augendae causa recte explorantur, illuc ubi scientia in dubio versatur, eam solam quae dubia dirimere possit divinitus constitutam sententiam fert. Etenim nulla in terra animorum origo quaeri unquam poterit, atque memoriae, mentis, cogitationis vis, quae occulta investigat, quae similitudines comparat, quae omnia complectitur, quae divina suspicit, haec opinionis commenta refellit, et firmum argumentum veritatis affert. Ut enim femoris vel calvae vel totius corporis formam ex pitheco vel cercopitheco vel inuō ecaudato ad hominem transactam perspicere quidem possimus, et alius positae speciei quae adhuc desunt vestigia inveniamus, quamquam haec facile nobis met persuaderemus, ad id quod agitur nihil intersit, si mentibus praecipuae difficultates deinde etiam inhaereant, ac si immensum aliunde intervallum, si longe maximam animi humani potentiam, humani intellectus divinam aciem, omnia denique quae non evoluta quidem sed singularia videntur, talia, inquam, aperire nolimus.

Post haec non timide neque temere progredi debemus. Leonis pontificis sapientia verba ad Americae filios Roma missa eos monent, ne insolenter a communi interpretatione maturius discedant, ne eam audacius contemnant; sed inceptam rem nihilominus laudent, neque damnare ea, quae a sapientissimis Ecclesiae poni scimus doctoribus, possint. Omnia haec hominum disputationibus tradita sunt; scientiae autem dirimendus est error (2). Sed huc semper venimus, scientiae quaecumque videantur certissima fidei non obrectare, eam contra splendidissime tandem tempore omni omniq[ue] aetate illustrare.

E. DI BISOGNO.

DE PUERIS IN CRASTINUM INSTITUENDIS

MEDITATIONES POSTUMAE

CUM bis iam actae oratiunculae finis sit tandem tertio faciendus, vereor, ne id parum caute contendisse videar, ut omnes qui vel ingenuo et, ut ita dicam, equestri ordine nascentur pariter manuum labori agrorumve cultui operam dare cogantur, nec ullus amplius sit literarum disciplinarumve progressus.

Non ego profecto, bonis literis atque artibus a pueritia addictus, haec dixi neque dicam, sed dum viris summo ingenio praeditis, quibus et aetas haec nostra, quidquid contra invidi vel insipientes detrectaverint, floret, omnes nova scribendi, fingendi, inveniendi partes demisse admiratus relinquo; velim contra, ut qui studiorum curriculum ineunt, seipsos ante probantes,

Quid valeant humeri, quid ferre recusent sedulo aestiment: quodsi nimis arduum sibi esse senserint metam studiis propositam attingere, impar viribus consilium aggredi desinant.

Panditur enim late aequor ac tellus; regionibus adhuc incultis, ut gramina quaeque ac fruges producant, nonnisi viri desunt; tenent barbari litora,

(1) FOGAZZARO, *Per la bellezza d'un' idea*.

(2) « Toutes ces questions sont livrées aux disputes des hommes, et c'est à la science à faire ici justice de l'erreur »; BELLINKJ, apud QUATREFAGES.

quae forte neque sacris Evangelii praeconibus innotuerunt, quaeque perfectae societatis commodis prorsus privantur.

En profecto fines, ad quos vela tendere, ingenia viresque niti novae sobolis velim. Ad haec, tria praesertim, quae maiores pene obliti sunt, iuvenes et adolescentes sibi curanda memorent: ut nempe agorum cultui sive mechanicae sive chymicae disciplinae recentiora inventa applicare contendant, quo illud primum humanae societatis fundamentum in honorem restituant; ut quae industria hucusque miranda fiunt, sibi esse perficienda in dies noscant; ut denique exterarum nationum et, si commodum est, barbarorum etiam linguis alacriter studeant, quibus instructis, in certamen ad res cum quavis etiam longe dissita gente commercio commutandas satis parati descendant. Rem omnem Germani, vix quinto a perfecta patriae unitate lustro, splendido exitu docent.

Senem illum vel senescentem, cui haec aestuantis phantasiae somnia videantur, civile omne consortium ab *imis fundamentis* pene commotum, *imminentia* tetrica bella meminisse iuvabit. Cum eventus alter ex his, aut forte coniunctim impetum ficerint, quid rerum publicarum omnium, prouti nunc sese habent, superfuturum sit, nescio. At mehercle puto membranacea diplomata haud multum mihi vel tibi doctori renuntiato tunc profutura. Concidemus forte in supremo rerum discrimine, qui incolumes evaserint ventura consipient; sed absonum minime fore puto, ut rudis agricola vel callidus operis artifex longe pluris quam nos vano literarum simulacro exornati aestimentur.

Tunc enim nostrum hoc saeculum, cui ab aquae vaporatae viribus nomen inditum, novum sequetur vis electricae vix nunc exordientis annorum ordo portentaque fient hodiernis longe maiora. Aëreae naves vel solitae vagantes, vel electricis innixa funibus super oceanum discurrent, navigia subaquea absconditos in abyssis thesauros explorabunt, nosque cum barbaro forte sinensium litorum incola vel articae sub polo regionis, telephono coniuncti, colloquemur. Quid plura? In coenis domesticis vel amicorum conviviis, candidi panis laetique lyae pulsis muneribus, chymicis globulis a medico, coquo potiore, confectis, levissimo ac cito digerendo cibo vescemur.

Haec omnia novarum rerum avidis iam propin oculis sunt; at ego, quamvis haud tam cito futura credam, tamen his eventibus vires studiaque iuniorum comparanda paulatim esse censeo. Sed a me, candide lector, exemplum quaequieris frustero enim medicina paratur... neque mihi tantus ardor nova videndi, neque latino ingenio omnino resistere fas est: cui immo, post religionis solatia, nihil aliud optandum profert vita, nisi quae pulchra omnia divino nutu per orbem diffusa sunt contemplari, ac bonarum artium poesis vel musices oblectamentis indulgere.

Iamque cum succensa illa febri fervescet mundus, in terrae angulum inexploratum secedere velim, ubi tantorum operum fervor ac rumor vix exaudiat, nihil enim senectuti aptius esse intellexi rustica quiete.

Neque mehercle impossibile fore puto, ut latenter recessum aliquis ex audaci nepotum generet, tandem aliquando laboribus atque curis fessus petat, mihiique forte morituro illud Virgilii iteret:

*Sed nos immensum spatis consecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla.*

I. ANTONELLI

SOPHOCLES ET SHAKSPERIUS TRAGICAE ARTIS ANTISTITES

QUID inter artem tragicam antiquam et recentiorum, vel potius quid inter Sophoclem et Shaksperium intersit, breviter explicatum mihi videatur in superiore huius ephemeridis numero. Sequitur, ut quae sint pares utriusque laudes paucis verbis persequar. Ac primum quidem hoc animadvertisendum est, neutrum quid de rebus propositis sentiat exprimere, ut saepissime Euripides; quare e tragoediis nihil de eorum vita et moribus colligere possumus. Neque minorem in tractanda materia Sophocles et Shaksperius paeclararam artem exhibit. Sophocles enim, cum fabularum exitus commutare sibi non liceret (1), locum tamen et dispositionem variavit. Nam in *Choephoris* Aeschyli et in Sophoclis *Electra* de eadem fabula agitur; utriusque unus est exitus, Clytemnestrae et Aegisthi nex. At quanta discrepantia inter utramque tragediam! Shaksperius autem, nulla lege impeditus, materia undique sumpta, magnam adhibuit libertatem in tragoedias componendis, uti in *Rege Learo* videmus, cuius res gestae longe absunt ab illis, quas narrant antiqui Britanniae annales.

Pari autem laude cunulantur in personis effingendis; Oedipus enim rex, Creon, Ajax, Antigone, Philoctetes apud Sophoclem; Othello, Hamletus, Macbethus, Desdemona, Iulieta, Cordelia apud Shaksperium natura, inde et moribus sunt inter se ita dissimiles, ut singula unius cuiusque effigies in nostra mente penitus insideat. Praeterea actores primarum cum actoribus secundarum comparati magis eluent; quantopere enim Oedipodis iracundia a Creontis mirilla tranquillitate differat nemo ignorat, neque quemquam fallit quam perspicue Hamletus cum Horatio amico collatus emineat.

Quod autem ad rem metricam attinet, Sophoclei numeri fabularum rationi maxime accommodati sunt: lyrici enim versus motus animi et sensus, iambi alternos concitatos sermones, trochaici numeri mentis celeritatem mirifice exprimunt. Quam artem et Shaksperius adhibuit; qui numeris praeterea orationem solutam adiungit, cum homines humili loco natos loquentes inducit, uti ianitorem in *Macbetho*, fossores in *Hamleo*, scurram in *Othellone*. Quin etiam ipsi primarum actores ad cotidianum sermonem descendunt, cum inferiores homines adloquuntur. Quae res quantum subtilitatis et veritatis fabulis conferat, nemo est quin videat.

Verum ad dicendi genus veniamus, quod *stilum* grammatici appellant. In hoc quoque uterque praestantissimum artificem se praebuit. Sophoclem enim triplicem *stilum* habuisse testatur Plutarchus (2): primum tumidum atque inflatum, deinde nimis artificiosum, postremo simplicem, suavem, dulcem et ad hominum mores effingendos maxime accommodatum; quod genus ex omnibus fere tragoediis, quae exstant, adparet. Shaksperius quoque tria dicendi genera expertus esse videtur; is enim sententias et res primum diligentius expressit, deinde certis et propriis verbis, tum denique ita creber sententiis et compressione rerum est, ut verba fere deficere videantur. At interdum turpissimis utitur verbis (3); quae, quamquam plerique exprobrant, tamen non sine arte aliqua usurpata esse videntur, quo clarus - uti opinor - res, comparatione adhibita, significarentur.

In facetiis autem per tragoedias serendis, quarum duo sunt genera, unum dicacitatis, alterum notationis,

quae est cum ex vi nominis argumentum elicitor aliquid (1) de hominum moribus, Shaksperius maxime excellit; Sophocles vero tantum facetiis, quae ex notatione sumuntur, usus est non sine aliquo lepore et venustate.

Quid autem dicam de *tragica*, quam appellant, *ironia*, qua Sophocles in omnibus fere tragoediis *severe ludere* videtur? Eius enim fabularum exitus spectatores antea cognoverant; at poeta mira sua arte ita res disponebat, ut aliter ac revera essent, se habere videbentur; ut ex tota de Oedipode rege fabula intellegi potest. Oedipus enim civitati gravi morbo laboranti, ut pater filio, se prodesse velle confitetur; Apollinis responsa a Creonte relata probat; gravissimis verbis Laii sicarium exsecratur; tamen ipse est morbi causa, ipse est Laii sicarius; aliud denique Apollinis responsa significant! Quibus ex rebus tragica existit ironia. Quae quidem minime in Shaksperii fabulis deest; at non ita copiosa est quam in Sophocle. Neque id mirum; nam Shaksperius fabulas tractabat, quarum exitus pauci antea cognoverant.

Sed uterque summam artem in naturae amoenitatibus verbis exprimendis adhibuit. Quanta enim diligentia Sophocles nemus illud Eumenidum describat, quod «lauris, olivis, vitibus abundat: in eo autem per arbores lusciniae suaviter canunt» (2), nemo ignorat; suavissimum autem carmen, ne plura afferam, quo poeta Coloni sui amoenitates concinit, pictura proprie dici potest. Shaksperius autem non solum amoenitates naturae, sed etiam, uti in *Macbetho*, uti in *Iulio Caesare*, noctis caliginem, procellae horrorem et fremitum describit. Uterque adeo fabularum exitum curat, ut hic ex intima rerum natura atque conexu erumpat, excepta Sophoclis *Philocteta* tragoedia, in qua nodus «vindice divino» solvit; uterque personas usque ad fabulae finem servat, quales ab initio processere, uterque hominum sensus et mores, animi tempestates et mentis cogitata summa arte exprimit, uterque denique perfectus scriptor atque artifex. Sophocles igitur et Shaksperius, quamquam inter se dissimillimi, tamen non paucas laudes communes habent. Uterque vero, temporum ratione habita, perfectionis cumulum arti tragicae addidit et «monumentum aere perennius» sibi exigit.

D. TAMILIA.

TORQUATUS TASSUS

DIES XXV mensis aprilis an. MDXCV ultima in terris fuit demigranti ad meliora animae italae suavissimae, cuius memoriam renovare iuvat, quamvis Torquati Tassi laudes et gloria, omnia praetergredientes mortalium paeconia, humanis vocibus aegre continentur. Illa enim divina mens, quae singula temperat ac pro lubitu suo dona distribuit, tot ac tanta in hoc uno viro cumulavit, ut si ipse fingere voluisse, neque plura bona reminisci, neque maiora consequi potuisse.

Nam si maiorum gloria genusque veluti lumen quoddam nascentibus habeantur, is Bernardo patre usus est generoso ac nobili viro, nobiliore literis, fide autem nobilissimo, quam regi suo, tenax in adversis, ita probavit, ut familiaris rei, quam fidei, iacturam perpetui satius duxerit.

Vix decimum et sextum aetatis annum attigerat, et iam utrique iuri operam dabat, quum admovit heroiaco poemati manus, cui nomen *Il Rinaldo*, quod

intra decimum et octavum annum explevit. Poema hoc eo ex genere est, quod *romanense* (italice *romanesco*) dicimus, ac tale habetur, ut nisi Areostus esset in eo genere princeps, hic profecto habereatur. Quemadmodum enim *Odyssea* homerica poema est iam senescens vatis, hic autem vates Homerus, ita *Rinaldus* poema est adolescentuli imberbis, at hic adolescens Torquatus.

Venio nunc ad aetatem illam, quae inter vigesimum ac trigesimum annum versatur.

Et ecce ad instar gigantis supereminet omnes non uno, sed multiplice poesis genere, neque poesi tantum, sed soluta oratione conscribens tum in philosophicis disciplinis, tum in epistolis, quibus in postremis eam laudem est assecutus, ut cum ciceronianis de principatu contendere videatur. Nemo inter duos iudicavit; inter hos ac reliquos decretum est multos tentasse persequi, paucos fuisse proximos, superasse, aut saltem aequasse, neminem.

Nec ulli pariter licuit aequare suavissimam fabulam pastori, cui nomen *Aminta*, nec lyricus quivis maximus vates lyrifica Torquati carmina sibi aequa non sentit.

At quod caeleste appareat, in poemate habetur illo, quod *La Gerusalemme Liberata* inscribitur, quodque suffragio populorum omnium tot in idioma delatum est quo linguae sunt gentium, quodque adhuc in montibus Apennini aestivi pastores certatim decantant, memoriae mandatum ex integro.

Atque ego, si fari liceat, sententiae huic italicae gentis libenter acquiescam, penes quam Alligherii carmina a populo exciderunt; exciderunt Petrarchae epigrammata; nec Areostei versus ultro memorantur. Vivit unus, tantorum pace sapientum, Torquatus, vivit voluntate et consensu italicarum gentium in iis legendis quae magis placent. Et curnam ea magis placent? Quia cordi, quia menti, quia indoli omnium dulcius pleniisque respondent. Quae autem huiusmodi sunt, ea naturae et perfectioni prae certis proxima iudicantur.

Quapropter Areostus alter, divinus dicerer; Torquato compar, perpetuus essem populis atque immortalis.

Harmonica autem ratio est, eaque iugis et perennis in unaquaque Tassiana strope, quae octo versibus absolventur mirabiliter inter se consonantibus. Nescio quid solemne in singulis concinit, nescio quid ineffabile, et indefinibile, quod cordi assonat numero, menti cogitatione. Est numerus quidam, quasi unda leniter fluens, cogitabundus et moestus, maiestatis et concentus est aliquid plenum. Qui Torquatus in hoc poemate canit, longe alius ab illo Torquato est, qui *Rinaldum* descriptis. Qui hunc describeat, in terra erat; qui de Solymis Liberatis canit, spatiatur coeli in regione serena, at volans et semper idem *vix commovet alas* in quadam pace sublimi.

Excelsior mortalibus illo in aethere nitido et carente procellis agitur, tanquam in caelo quodam illumi ac tranquillo, sine nubibus, sine ventis, respicientibus desuper astris.

Noscis in unaquaque strope hominem mortalium rerum, sibi fortasse suayum, illusione liberatum, ac tamen harum amissione dolentem; est in unaquaque strope altissima moestitia gementis animae, quae, sive loquatur, sive narret, gemitum subdit indistinctum, indefinitum; est quasi moestus caelstis harpae concentus, qui gementium miseretur, ipse gnarus doloris; totumque poema quasi talium catena concentuum, qui, alter in alterum, feruntur, et mutuo se vocant, appetet.

En ars Tassiana poeseos, quae simul miscet in-

(1) Cf. ARISTOT. *Poet.* XIV, 5, p. 1453 B.

(2) Cf. *De project. virtut. sent.* p. 79 B.

(3) Cf. *Rom. et Iul.* III, 157.

(1) Cf. Cic. *Top.* VIII, 35.

(2) *Oed. Col.* 16-18.

gentia psalmorum David, moestissima threnorum Ieremiae, et superciliosi Ezechielis sublimia!

Da strophem Torquati; quovis in poemate posueris, suo numero se prodit ac manifestat; pone Virgilii versum; facile inter Ovidii, Lucani, Horatii, et Statii detegetur.

Qua de causa popularis Virgilius? Eadem ac Torquatus: non aureo illo stilo, sed arcano numerorum concentu, imaginum collocatione, et gradatione eadem. Torquati poema et characterum et ingeniorum constantia, et proportione partium, et musico rythmo, et gravitate dicendi in epico perfectionis apicem contigit. Atque haec tam pulra, tantaque et mole et numero vix inter sexdecim, aut octo et decem annos absoluta sunt.

Reliquum vitae, quod tanto viro fuit, inter tormenta carceris, inter calumnias amentiae, inter asperras cuiusvis generis insectationes est consumptum; quarum ille non meminit unquam, nec unquam insectatores dilacerat suos.

Romam adveniens peregrinus et inops, comiter a pontifice exceptus, et quo par erat honore habitus, brevi conquevit aeternum, quum triumphalis pararetur pompa, qua laurea in Capitolo donaretur vates, qui Christo, qui Ecclesiae, qui gentibus italicis, qui christiano Europae populo Redemptoris tumulum liberanti seratum donaverat versibus immortale.

H. PIERALICE.



Cubiculum ubi T. Tassus decessit, Romae ad S. Honuphrii.

IN QUERCUM TORQUATI TASSI

TURBINE DEIECTAM⁽¹⁾

*Quamvis Ianiculi, pratis vernantis amoenis,
Ante meos pateant culmina celsa lares,
Haud siccis oculis cerno tamen, hospita quercus,
Illic omne tuum disperiisse decus.
Innumerous vicesse tibi quid profuit annos,
Robore fulmineum despiciente Iovem?
Quid magni extremas Torquati audisse querelas,
Te prope, cui tandem risit amica quies?
Tam claro e solo radicibus exturbata
Ventorum subito victa furore iaces!
Relliquis miseras, tanta de mole, stupemus
Tristes en muro fulcier exiguo!
Infesti nil non cessurum viribus aevi
Edoceor casu tristior ipse tuo;
Mortis enim flatu percussa superbis vilae
Sic nostrae in patriam dissolutetur humum.*

N. FILONARDI.

(1) Torquatus in secessu S. Honuphrii ad Ianiculum solebat recipere sub quercu illa notissima, quae primum anno 1842, deinde anno 1892 turbine avulsa est. Eius trunci ferme arida fragmenta muro fulta supersunt.

NOCTURNA LUMINA AD MARE

S in rerum testem historiam paulisper oculos coniiciamus, facile deprehendemus omnibus temporibus ad portus, freta ac promontoria nocturna fuisse lumina, quibus nautae rectum tenerent iter, ne in scopulos offendarent, neve tempestatis vi opprimerentur.

Tribus iam millibus abhinc annorum constat varia ratione lucem nocturno tempore nautis fuisse exhibitam: principio in litore; postea proceris in turribus immanni lignorum congerie flammis data immensum maris aequor longe lateque illustrabatur.

Tempore lignis adipem animalium, resinam atque oleum patulo in vase, vel ferreo vel aeneo, fuisse suspecta memoriae traditum est.

regionibus bello subactis exstruenda summopere curarunt: ex Atlantico enim mari ad Euxinum Pontum, et ad mare nostrum multis in portibus fretisque plurimae exstabant turres, quarum lumine nautae duci possent.

Notanda insuper celebris in Anglia oris columna, cui nomen a Pompeio, etsi eam Domitianus erigendam curaverit: rudera, quae adhuc supersunt, columnae magnitudinem liquido ostendunt.

Sciendum denique est Romanos nautarum salutem noctu per triremes prospexit, quae ad portum ac freta, vel per altum sensim vagantes, rectum navibus ostendebant cursum magnis facibus in malo atque in navis latere colluentibus.

Media autem quam dicimus aetate, quum Venetiarum, Genuae atque Amalphis respublieae in Italia florent, accedit ut maritimorum consuetudo itinerum ob commercii causam increbret; quare et necessitas increbuit lumina ad horas multiplicandi. Idque in usum deductum est non modo in Italia, sed etiam in aliis Europae regionibus, in Dania praesertim atque in Anglia, quae ceteris nationibus, si Italianam excipias, maritimorum itinerum audacia ac prudentia praestiterunt. In Anglia autem tot tantisque curis navigantium saluti provisum est, ut coetus quidam instituuntur, cui nomen «Trinitatis Fratres» (*Trinity House*) quique sibi propositum habent Angliae oras, periculis praesertim in locis, noctu lumine il-

Sunt qui putent insignem Rhodium colossum, centum viginti pedes altum, ad lumen noctu exhibendum nautis fuisse aere ductum, tum quod prope litus staret, tum quod Apollo, lucis deo, sacer esset, atque immensa magnitudinis lampadem dextera teneret. Ex quo conici potest Siciliae cyclopes, quibus unus media in fronte oculus erat, nihil aliud fuisse, nisi immanni statu colosso, lumen noctis tempore nautis inferentes.

Antiquis temporibus turrium celeberrima, in quibus noctu lumen nautis praebebatur, illa iure merito habetur, quam Alexandriae Aegyptiae a Ptolemaeo Philadelpho, anno ducentesimo septuagesimo ante Christum natum, fuisse exstructam accepimus. Mirificum opus marmoreum, quod octingentis fuit talentis argenteis, basi quadringtonitorum pedum quadratorum innixum, quadringtonos quinquaginta pedes altum erat, adeo ut fama sit lumen ex ipso proficisciens a nautis accipi posse triginta circiter millia passuum e portu distantibus.

Neque minoris pretii turris fuit, quam ad Ravennae portum conditam scimus. Nota quoque dignae videtur id genus turres, quae Caprariae atque Ostiae constructae sunt a Romanis, qui talia aedificia summae utilitatis non modo italicis in oris, verum etiam in

lustrare. Lampades vero ea tempestate in huiusmodi turribus splendentes oleo plerumque alebantur, quarum lux tenuior vitreis lentibus aut per ferreos sive aheneos discos albo colore delinitos increbescunt vi in extensem maris aequor reiiciebatur, ita ut a nautis longe e portu distantibus facile oculis haunii posset.

Nostris hisce diebus quum lux, cui nomen ex electro, mirum in modum plurimos adhibetur in usus, dici quodammodo potest soli ipsum iubar esse raptum ad lumen longinquis navibus noctu inferendum. Idque in praecipuis portibus ac fretis Europae, Americae, atque regionum omnium, quibus humanitatis splendor affulserit, magno cum commercii incremento, magna cum viatorum securitate adhuc videmus. Omnium autem id genus lumen per insigne illud profecto existimatur, quod ad Neo-Eboraci portum lucet, ubi in altissima base ad caelum tollitur immanni magnitudine simulacrum, a Libertate nuncupatum, ex quo tanta lucis vis promanat, ut naves ad portum facile appellere, rectumque in itinere cursum tenere possint. Neque id mirum; quum notum sit ditissimos Americae incolas rebus mirificis suapte natura summopere delectari, adeo ut nihil prope faciendum suscipere valeant, quod maximi-

non sit, neque admirationem iniiciat sui. Si enim florentibus robore adolescentibus similes mihi esse videntur, qui venationis, equitationis, ac palaestrae exercitationibus maxime indigent, quibus vires exserant plane redundantes.

HERSILUS.

DE FRAGMENTIS
FORMAE ANTIQUAE URBIS
NUPER IN LUCEM PROLATIS

ANTIQUISSIMA forma Urbis, cuius saltem memoria ad nos usque pervenit, ea dicenda est, quae, Augusto imperante, in porticibus Vespasiae Pollae in Martis campo depicta fuit. Atque haec veteris Urbis tabula cum operibus dimetendi orbis romani relationem profecto habuit, quae opera Augustus anno 747 U. C. ad finem perduxit, milliariorum aureo in capite romani Fori erecto et censu illo perfecto, de quo Lucas in Evangelio, nativitatem Christi enarrans, scripsit: « exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis » (Luc. II, 1).

Cum vero anno 64 a Christo nato magna pars civitatis neroniano incendio conflagrasset, aedificia instaurata, novis etiam interiectis viis, adspectum Urbis prorsus mutavere; ita ut nova forma omnino necessaria iudicanda esset. Hanc autem sub principibus Vespasiano et Tito descriptam fuisse ex Plinii verbis deduci potest (1).

Saeculo vix elapso, Commodi, Marci Aurelii filii, temporibus, anno scilicet 191 p. Chr., nobilissimas regiones praesertim circa Forum et Palatium fatalis ignis penitus destruxit. Quapropter Severus Augustus incendi huius damna reparare maxime in curis habens, tam ingentem aedificiorum numerum cum Antonino filio per Urbis ambitum restituit, ut Roma ipsa « urbs sacra Augustorum nostrorum » merito appellaretur.


Hisce peractis, novam formam urbanam veritati magis respondentem imperatores ipsi publico usui destinavere; et haec marmore insculpta parieti templi sacrae urbis in Foro Pacis constituta est (2).

Forma Severiana quatuordecim urbis Romae regiones modulo 1/250 cum omnibus aedificiis publicis ac privatis, plateis, foris, porticibus, viis, tabernis exprimebat.

Pars ea civitatis, quae ad meridiem spectat, superior erat in tabularum dispositione; ita ut a regione prima portae Capenae forma ipsa initium sumeret. Non longe vero ab hac Urbis regione, titulus etiam extabat, cuius litterae quaedam tantum in fragmanto A (vide tabulam) remanent, et sic restitu potest: *Forma urbis Romae regionum XIV temporibus Imperatorum Caesarum L. Septimi SEVERI ET M(arci Aurelii An)tonini AV(gustorum) NN(nostrorum)*. Unde aetas monumenti procul dubio liquet; quod idcirco primis tertii saeculi annis p. C. n. attribui potest.

Inscriptiones insuper aliae quamplurimae in area aedificiorum, vel ad latus eorumdem exaratae, monumenta ipsa indicant, prout tabula heic adjuncta ostendit.

In ipso fragmanto A (Cli)vvs victoria(e) adspicitur, nempe via illa, quae a porta romana antiquissima in Palatio ad aedem Victoriae aditum praes-



Formae Urbis fragmenta quaedam notabiliora.

bebat; et nunc etiam, subtractionibus domus Caii Caesaris tecta, dignosci potest.

Fragmenta D, E, F, G, O, Q, R ad monumenta perinsignia romani Fori spectant. In his adspicere est (g)recost(asim) (D), seu locum prope Curiam in quo « nationum subsisterent legati ad senatum missi » (1); Basilicam Iuliam (E, F), conspicuum illud et notissimum omnibus aedificium a Caesare coeptum et ab Augusto absolutum inter aedem Castoris et aedem Saturni, ut in testamento ipso augustano indicatur; Basilicam Aemiliam (O), quae contra basilicam Iuliam septentrionale Fori latus exornabat; Regiam (R), seu domum pontificis maximi prope templum Vestae et atrium virginum Vestalium; Templum Concordiae (G) sub Capitolio, cuius podium ante subtractionem tabularii adhuc exstat; Monetam (O), seu templum Iunonis Monetae in Capitoline arce, ubi nunc est ecclesia S. Mariae in Aracoeli.

Notanda denique sunt fragmenta M, N, in quibus

basilica Ulpia in foro Traiani Augusti cum atrio Libertatis exprimitur.

Ex quibus colligitur formam Severianam monumentum omnibus antecellens ad urbanae topographiae studium procul dubio dicendum, et tale, ut si integrum ad nos usque pervenisset, nihil prorsus de antiqua Urbis imagine desiderandum nobis esset.

Forma haec in pariete aedis sacrae urbis usque ad monumentorum romani Fori exitium firma ac tutam remansit: at postea tabulae a pariete ipsa partim divulsae in murorum structuram adhibitae, partim ad solum collapsae ab egestis ibi ruderibus obtectae sunt.

Longum denique post elapsum tempus, scilicet anno Chr. 1560, cum solum ecclesiae Ss. Cosmae et Damiani contiguum effoderetur, fragmenta quamplurima tabularum in lucem prodierunt; quae Alexander Farnesius, ecclesiae illius diaconus cardinalis, in aedes suas transferri iussit.

Ibi Severianas tabulas magna adhibita diligentia possessor servavit; et doctissimi homines, inter quos

(1) PLIN. *Hist. nat.* III, 5, 66.

(2) In templo hoc sacrae urbis ecclesia Ss. Cosmae et Damiani sexto post Chr. saeculo a Felice IV romano pontifice dedicata est. Paries, ubi forma Urbis Severiana affixa erat, in posteriore parte eiusdem ecclesiae adhuc adspicitur.

(1) VARRO, *De lingua latina*, V, 32.

Fulvius Ursinius, frustula illa pretii inestimabilis studio diligentissimo prosecuti sunt. Ac delineationes quidem Ursinianas cum notis egregii illius viri inter manuscripta bibliothecae Vaticanae nobis adhuc adspicere licet (cod. Vat. lat. 3439). Sed commentarium nullum de forma Urbis Ursinius in lucem edit; et saeculo tantum decimo septimo Bellorius, prius omnium, editionem huius monumenti suscepit.

Tandem elapso saeculo Benedictus XIV pont. max., cui Carolus Borbonius, Farnesianae substantiae haeres, fragmenta formae Urbis dono dederat, illa magnanimo cordis impulsu in Capitolium transferri mandavit et in scalis musei Capitolini affigi; unde nomen *Capitolinae formae* monumento huic factum est.

Post translatum in Capitolium monumentum, viri docti studiis ulterius illustrare ipsum aggressi sunt; et memoratu dignae elucubrationes profecto dicendae Piranesii, Caninae, Beckerii, et recentiores Tredelenburgii, Iordanii atque Ioannis Baptistae de Rossi.

Fragmenta formae Severiana, nuper inventa, in eversione muri cuiusdam prope aedes Farnesianas, ubi ceu saxa coementaria adhibita fuerant, in lucem prodierunt; cuius rei occasio facile reddi potest. Quuin enim tabulae duorum pene saeculorum spatio in diaetis nobilis illius domus servarentur, fragmenta quaedam minora, ut prorsus inutilia perperam existimata, ab aliis seiuncta et in structura muri illius ab imperito et rudi artifice adhibita sunt.

Fragmenta recens detecta numero sunt plus quadringenta, et quamvis parvi moduli, ad studium tam monimenti summopere utilia iudicanda.

Quaedam ex illis iam nota ex Ursinianis apographis erant, alia tamen prorsus ignota; at sex tantum titulis epigraphicis insignia. Inter haec notatu praesertim digna sunt fragmentum illud, quod *Serapaeum*, seu templum Isidis et Serapidis, in Martis campo, exprimit et aliud cum titulo *ludi magni*, seu scholae gladiatorium.

Tam ingens vero fragmentorum numerus, quamvis parvi admodum moduli, studio insignis monimenti restituendi certe proderit; iamque periti operi huic difficillimo vacant.

At nunc tempus profecto instat, ut celeberrimum monimentum, opportunis adhibitis effossionibus et novis partibus additis, perficiatur, atque aptiore in sede et studiosis commodiore, tabulis ad instar primaevae formae dispositis, collocetur. Quod opus gloriosum sane et romana magnificentia dignissimum a municipali nostro regimine iure cives exspectant.

H. MARUCCHI.

EX GERMANIA

Pompeii Russici.

DE rebus quae in nostratis academiis praecipue agantur notitiam aliquam humanis commentarii *Vox Urbis* lectoribus allaturus, neque inutile fore, neque ingratum duxi haec, quae sequuntur, expondere.

Ut enim ab Odessensibus delatum est, archaeologi russi foederati fossiones in paeninsula Krimensi iam aliquot annos instituentes, mirificum extricarunt evenitum. Kaschpar Dr. archaeologicae eiusdem societatis praeses, in Chersoneso Taurica, haud pluribus millibus passuum a Sebastopolensi municipio, oppidum investigavit perantiquum, in quo viae, aedes, resque residuae salvae, qualis in isto loco quondam vita acta

sit, ante oculos apprime ponunt. Quotidie utensilia varia effodi, maxime vero signa marmorea, alia e pyropo, alia e terracotta efficta extrahi, quae in musei formam conferuntur. Elicita cuncta, a temporibus Christi, anobyzantinis profecta apparent. Illic sane circiter annum DL a. Chr. n. colonia graeca constiterat, cuius postea potiti sunt Romani; Tartari deinceps, et Russi denique dicionis suea fecere. Iamvero ibidem coenobium monachorum russorum magnum situm est, cuius sodales studium atque operam interponunt in effossionibus. Anno MDCCCLXXXVIII, anniversariae Christiani nominis, ex DCCC annis per Cyrillum et Methodium in Russiam inducti, memoriae celebrandae causa, ecclesia egregie pulcra eodem in loco, et ab Alexandre caesare abunde exornata, exstructa est.

Vratislaviae.

L. KANT.

DE COLUMBIS VIATRICIBUS

AQUAE vaporatae vi, spretis ventorum iniuriis, iam que prope electricae occultae potentiae confisi tutissimi vel contra fluctuum impetus maria sulcamus; at si superior forte tempestas imminet, oppressis neptuni ira, unde auxilium expectamus non est. Fuit tamen (idque, cum rem audissem, credidi) quidam, veluti pius alter Aeneas, qui deam maris spuma genitam adprecatus, hoc, prodigio ferme, ex maternis avibus obtinuit: meministis enim ex Virgilio ipsas Troiano exsuli per Cumanos lucos duces fuisse, ut aureum illum inveniret ramum, quo districto, facilius sibi fieret descensus Averni.

Profecto *Normandie* gallicum navigium, Americam versus die elapsi mensis martii decima octava ab Havre portu solutum, cavea occlusas columbas secum detulit, quae Neo Eboraci apto in columbario depositae, nidum facerent. Hoc altera navis, *Champagne* dicta, ex eodem portu brevi secuta est, et postero mane in aperto mari, columbis ex caveis productis epistolas in tenuissimis chartulis luce expressas nautae suspendunt, ac liberam pandunt viam: aves, citissimo volatu, portum Havre patriosque nidos pertunt, literasque deponunt.

Champagne deinde navis Neo-Eboracum tendit, apertum feliciter, abductisque ex eo americanis pullis, quas primae illae gallicae aves ibi a *Normandie* delatae genuerant, in aperto pariter mari ad americana litora simili ritu nuncios mittit.

En rei initia, quo volatile hoc epistolarum commercium iam initum constat; prima enim viatrix columba a navi Americam versus iter faciente, quatuor supra quinquaginta onusta epistolis, Galliae portum iam feliciter tenuit. Patet ex his, licet vix rem innuerimus, ex Gallia vel ex America proficiscentibus avesque secum ferentibus, tum in patria, tum in adversis regionibus natas, epistolas ad alterutrum populum mittendi esse potestatem, licet hucusque non amplius quam sexcenties millia passuum viam perficere fidelissimae aviculae valeant, quod nempe unius tantum diei post navis profectum vel antereditum spatium facit. At medio in itinere, si atrox infortunium imminet, solutae tamen volucres numquam alterutrum litus attingent et miserando fine, labore fessae, mari submergentur; nisi illud cito impleatur, cui huiusmodi avium cultores confidunt, spatii absundi vim, instructis gradatim pullis, brevi fore duplicatam.

Interea per nostrum internum mare, longe angustioribus quam oceanum constrictum finibus, nullae navi deinceps tempestosis fluctibus quassatae nuncii deerunt, qui ad auxilia miseris nautis per litora quaerenda mitantur, nosque inter ac Americam facilior res fiet, cum hinc ad extremum Halifax promontorium, inde ad Hyberniae ultimas horas, navalium collegiorum cura, frequentiora columbaria in dies posita erunt.

Agite ergo fidenter, viatores, marisque elato animo inite vias; quinque enim libellarum tenue pretium est,

quo soluto, valetudinis nuncios, memorias, salutationes levia chartulae committere licet, quam fidelis columba ad vestros deferet, uti noetica illa prima avis, quae pacis ramum ac exactae divinae irae signum ad arcum resultat.

LAELIUS

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

In gallica urbe, cui Luna Villa nomen, recens decessit septimum et septuagesimum agens annum **Aemilius Erckmann**, ab Alsatia. Bibliopolae filius, primum iuri *Lutetiis* Parisiorum operam dedit, deinde litterarum illecebris captus, in eas tota mente omnique animi impetu incubuit. Una cum **Alexandro Chatian**, quem in scribendo multos annos habuit collegam, plures commenticias fabulas edidit, ubi Alsatia regio et eius incolae atque mores perbelle referuntur.

Lutetiis, die exacti mensis martii 28, **Aloysius Alexander Mizon**, gallus aequatorialis Africæ viator ac inquisitor audacissimus, et coloniae ad Gibuti nuperissime praeses relatus, repentina morbo abscessus est, annos natus quinque et quadragesima.

Lutetiis pariter industiarum rerum vir *studiosissimus*, **Leller**, qui ferrea per Elvetiam pleraque exstruenda itinera consilio suaserat, ac ipse deinde straverat, obiit.

Lutetiis etiam, die huius mensis aprilis 5, e vivis cessit **Anna Michelet**, Iulii Michelet galli historiae cultoris celeberrimi uxor, mulier doctrina omnis generis insignis ac singulari praedita ingenio, ut ad viri sui opera non semel manum atque consilium contulerit.

Hierosolymae **Richardus Cadbury** anglus mortuus est late defletus. Opificium enim ad mexicanam flabam praeparandum, quod a patre relicturn anno 1860 accepit, tam mirifice brevi auxit, ut operam inibi adhibendam diuorum millionum opificum in posterum necesse fuerit. Quibus omnibus non stipendia tantum, sed parvas domus horto septas, gymnaicos ludos, bibliothecam, scholam, lecturem aulam, serum hospitium, pharmacorum officinam, sacellum, omnia deinde vitae commoda ac necessaria, quasi pater liberis, dominus comparavit. Laboris exemplum ipse quotidie praebebat, decem vel etiam duodecim horas assidue in operibus sive mentis sive manus consumens.

Denique in oppido Arco, intra *Tirolensis* comitatus finis, **Ernestus imperialis domus Austriae magnus** dux interiit. Mediolani natus, anno 1824, die mensis augusti secunda, ex Rainierio, magno duce ac Longobardi regni prorege et Elisabeth, ex regali Sabaudo genere, in patria magistri equitum gradum attigerat, et in bello cum Italia simul ac Borussia, anno 1866, inito, tertio exercitu praepositus fuerat. Inter equites equestris ordinis germanici, quem ab Aquila magna vocant, ac iberici simul et austriaci ab Aureo Vellere dicti, relatus insuper fuit.

IN SIGNIA EQUESTRIA

NOBISSIMUS ordo equestris, cui nomen ab Aureo Vellere, quadringentos et septuaginta iam annos effulget, quo tum regia ipsa decorantur pectora, tum quae regali digna munere videantur.

Supremum eius honoris *impertiendi* ius est apud Austriae imperatorem et apud regem Hispaniae. Rei causam liceat exquirere, quod quidem non ingratum lectoribus contingat.

Philippus Burgundiae **dux**, qui urbanitate, miti indole et prona in omnes voluntate meruit appellari **Bonus**, ipse hunc instituit ordinem ad membrum nuptialis diei (decima *haec* mensis ianuarii fuit anni 1430), quo die matrimonio cum Elisabeth e Lusitana domo coniunctus est. Bis viduus, tertio dcebat uxorem, et felicioribus *fides* auspiciis ordinem hunc Matri Dei et Andreae apostolo dicabat.

Principio equitum numerus intra unum ac trigeminum virum fuit; nunc quinquegesimum non excedit; atque hac de causa insignis honos quia rarus

quia non effusus, nec ullis, nisi vel summo genere ortis, vel praestantissimis virtute collatus.

Insigne ordinis est aureus torques mirabiliter caelatus et gemmis distinctus, cum hoc titulo: « Ante ferit quam flamma micet »; in extrema vero parte agnus pendet constrictus ad ventrem zona, imaginem referens illius aurei velleris, cuius acquirendi causa Argonautae, Iasone duce, primum naves descendere ausi sunt, et pelagi ventorumque iras experiri.

Pulcre cautum est, ne aurea huius insignia ordinis nova fiant, sed, ab haeredibus morientium equitum recuperata, in novos deferantur.

Olim equites utebantur vestibus peculiari forma distinctis; nunc civili vel militari indumento superimponunt aureum torquem, vel tantum in supra pectoris parte supremum torquis insigne affigunt sericae taeniae rubri coloris alligatum, inscriptis verbis: « Pretium non vile laborum ».

Leges, quibus equites adscripti regebantur, pulcherrimae apud equestrium insignium peritos habitae sunt, quod virtutis et honestatis incrementa proposita haberet, praecipue vero ut nobiles dynastae in se regis manerent.

Constitutum quum esset iisdem ut magnum ordinis magisterium (summa potestas) apud virilem sobolem eamdemque Burgundiae dominam permaneret, provisum pariter est ut, si quando haec fortuna deficeret, ius migraret in sponsum filiae mortui ducis, ita ut ipsa paternum dominium haereditate obtineret.

Quapropter, quum Carolus, qui Temerarius appellatus fuit, unicam reliquisset Mariam nuptam Maximiliano Austriae magno duci, hic magisterium supremum Aurei Velleris est assequutus. Mox Maximilianus Germaniae imperator moriens, Augustis a se natis hanc potestatem reliquit; Carolo V autem dividente imperium, ius idem cessit in filium Philippum II, ex eoque in posterum ad hispanos reges.

At flagrante bello pro Hispania occupanda, quam sine liberis decedens Carolus II reliquerat, accito testamentariis tabulis in haereditatem Philippo, qui postea quintus dictus est, tandem composita pax est anno 1714. Tum Carolus VI, Germaniae imperator, Hungariae rex et Bohemiae, Italiae quamplurimas regiones, Belgas et iam Hollandiam in sua potestate traditas habuit.

Itaque iure quodam nativae institutionis, quippe in provinciis Batavis Aurei Velleris ordo initium accepit, supremum ordinis magisterium vindicavit.

Acriter hinc inde disputatum de iure est, scriptis quidem et verbo, non armis, « et adhuc sub iudice lis est ». Interea caesarea domus Austriae, et augusti reges Hispaniae iure suo utuntur, et, quos dignos tanto honore iudicaverint, in ordinem Aurei Velleris viros cooptant.

SENIOR.

FRUSTULA

De mense aprili.

ROMULUS pater, qui primum anni mensem Martium a Martis parentis nomine dixerat eique dicaverat, secundum Veneri, Aeneae matri, ex cuius genere se natum putabat, sacravit: hunc Nero ambitione inflatus *Neronium* appellavit, quod nomen in posteros nonnisi ignominiae causa interdum est memoratum. Graeci, quod remeante vere solisque renovato calore terram quasi foecundari videbant, Θαργηνού nuncuparunt, et ex Pleiadum choro, quae prima his mense nasci apparebat, Θαργηνα dicebatur: Machones Xanticum, Delphi vero illum *Vysion* nuncupantes.

cuparunt, ea etiam de caussa quod eo mense Delphicum *oraculum* responsa edere assueverat; Carolus denique *Magnus* saxonico verbo *Ostermon*, quod plenumque intra eius fines Pascha celebraretur, dixit. Mensis profecto non tantum redeuntis veris amoenissimo aspectu et graminum novissime virentium (unde *Aprilis* seu *Aperilis* dictus) ad laetitiam advocat, quam etiam paschalis solemnitatis memoria, dies omnium festorum maxima, uti in superiore huius commentarii numero notavimus.

Quiritium ludi mense aprilis.

Apud *Quirites Megalenses* ludi primo huius mensis die indicti. Ad septimum usque producebantur, in honorem *Cibelis*, almae deorum omnium parentis; cuius ante *fanum* in Palatino convivia, sed ea frugalia et parca, celebrabantur; iuvenibus vero personatis nutus, *loquela*, ceterosve habitus ac mores cuiusvis vel gravissimi viri ac altissimi magistratus imitandi pro *libito* *datum*, togamque gestandi passim purpuream, cui proinde « *Megalensis purpura* » nomen fuit. Hos circa, dies anniversaria etiam dedicationis aedis *Fortunae Publicae*, effrenata licentia, agi solebat, natalisque *diei* *Castoris*, *Pollucis* ac *Apollinis* magna memoria. *Haec* Cereris sacra sequebantur, insigni matronarum pietate, quae candidis induitae vestibus, supplicationem inibant, in qua Deae simulacula circumferebant. *Agrorum* deae frugum primitiae offerebantur scrophaque praegnans donabatur, quasi in agrorum foecunditatē felix auspicio. Ad vesperam autem, inter *Cereales* ludos, sacerdotes accensas faces agitantes urbem lustrabant, praeconisque exaudiebatur tuba, canentes ut scelestis impurisque templi aditus omnino *praeccluderetur*, quem Nero ipse Caesar violare minime est ausus. Si quis contra egisset, capit reus damnabatur, et sacra pariter quae in aede fiebant profanis pandere nefas erat. *Fordicalia* seu *Fordicidia* deinde sacra in Terram deam parentem multis *praeignantum* vaccarum oblatis hostiis locum habebant, ut foecundiores agri redderentur. His Divus Antoninus *Pius Circenses* ludos, *Equitios* etiam dictos, adiunxit, in *Circo Maximo* magna pompa celebrandos; vulpesque tunc plurimas per circum omnem currentes ardentibus stipulis caudae alligatis conspicere erat iucundum. Martis deinde vices erant, cuius in honorem magno tubarum, cornuum, buccinarumque sonitu, arma, pila, gladii, sagittae, arcus, scuta, galae, loricae, signa denique ac ipsae aquilae, imperii suprema *praesidia*, aqua lustrabantur. *Floralia*, denique, eaque immodica lascivia per sex dies acta, Sibyllarum oraculo primum constituta, proxima his solemnibus erant, ut numinis auspicio flores et gramine omnia feliciter succrescerent.

Urbis natalis dies et cetera mensis aprilis solemnia.

Dies mensis aprilis *xxi* solemnissimus ad nos usque permansit natalium Urbis memoria: ex quo Romulus pater aratro deducto sulco sacrorum moenium ambitum prium descriptis quibus, iuxta Horatii carminis auspicio, nihil unquam sol maius vidit. Loca omnia veterum traditione insignia maximo cum gaudio cives peragabant, aedesque Romulo ac Remo in Foro sacrae maxime tunc frequentabantur.

Ensis voluptuosus.

Hisce nostris diebus commentarii profecto omnes et plerique sermones Sinis redundant; ideo et nos tempori cedamus.

Itaque exstare in emporio sinensium imperatorum ensem, cui nomen Chang-Fang, audivimus, qui fermenti ius tribuat immediate caput abscondendi cuiusvis tam in infimo civium ordine, quam in supremo, cum vel iudex quivis, imo vel ipse imperator nequeat de causa occisionis inquirere. Dein, saeculis abhinc multis, aiunt ensem illum fatiferum et exterminatorem in emporio otiosum delitusse; nunc vero imperatoriam feminam deferri iussisse, et principi viro Tsal-Chi pessimo cum iure haerente credidisse.

Ecce igitur in aula sinensi munus ipsis Neronibus ignotum! Quis neget nunc Sinenses cultu et progressu, ut vulgo dicitur, praeire?

Iocosa.

Rusticus cum primum ferreis axibus strata via iter faceret, currusque repente subterraneum tramitem ingredierentur, quo pergerent ignarus petiit. Cui quidam ex viatoribus: « Ne timeas - facete respondit - ad inferos pergimus ».

At rusticus: « Quid metuam, cum schedulam non ad gressum tantum, sed et ad redditum validam habeam? »

FORFEX.



ANNALES

Inter Galliam et Angliam foedus - Sinenses res - Ad *Philippinas* belli eventus - *Carolinarum* ac *Samoa* insularum fata - *Graeciam* regentium difficultates - Visitatio italic regis per *Sardiniam* insulam - Ex aedibus Vaticanis.

PRAECIPUUS huius dierum Europae eventus pactio fuit Angliam inter et Galliam de Africæ terris dividendis inita, qua tandem aemulationi ac irae post Fashodam a Marchand duce occupatam finis impositus, ac pacis pene turbatae quies restituta est. Fashodam Galli omnino dereliquerunt, at fines Cambon inter, Galliae ad Anglos legatum, ac Salisbury anglicarum rerum summum administrum, nationis utriusque dominio ac tutelae constituti sunt, terminusque armis signatus, quem in posterum violare nefas erit.

Hinc enim orientalem Africæ partem pene totam ab Aegypti oris usque ad extremam meridionalē coloniam, quae Africæ frons appellatur, Angli sibi retinuerunt; inde occidentales plagae ex Berberia ad Mauritaniam per Sahara desertum usque ad Congo fluminis oras Gallis relictae sunt, viaeque simul ipsis est copia facta, qua merces suas omnes ac fruges ex barbaris terris collectas facilius ad Nili fluminis aquas adducere queant. Multa inde inter Italos animorum perturbatio exorta est ac timor, ne Interni maris litora omnia, extraneis ita conclusa armis, Saturnia haec tellus, antiqua marium domina, quasi in Gallico quodam lacu contineri videatur. Sed Tripolitana regio, quae Turcarum imperatori adhuc specie quavis subiicitur, immunis videtur in posterum eidem esse relicta; num vero Itali rerum administrari ipsa, licet ab Anglis simul ac Gallis quasi oblata, brevi potiri velint, in incerto est.



In Sinensium imperio haud ferme multa postremo hoc tempore notatu digna evenerunt. Navigia tamen ex Dania quoque recens ad illius oras apulsa novimus, ut suorum civium privatas res ac negotia armorum metu contra labentis iam civilibus bellis ac seditionibus imperii cives, quo magis possint, tueantur. Danorum intentus Russiae imper-

tori minime invisos esse dicunt, ipsoque favente facile illis quoque sinum aliquem ac oppidum concessum fore auspicantur. Belgae interim alia ex parte similia tentant: sed Germani, cum perduelles barbari Evangelii quemdam paeconem necassent, I-ciau, in provincia Scian-tung urbem, tenuerunt, cuius litora Kiao-ciao iamdiu occupaverant. Italorum vero negotia adhuc in suspenso sunt, dum novus ad Sinenses legatus navigio ad eos iter facit, quo cum appulerit, cito ac favorabiliter speramus rem omnem esse cessuram. Interea vero in germanica ephemeride *Politische Correspondenz* legi licuit secretum aliquod Iaponiae inter ac Sinensem gentes foedus fuisse initum, ut tandem flavi omnes homines in unum coacti, invadenti Europae cupiditati resistere collectis viribus audeant: quare illud imprimis cautum videtur, ut Sinensem militum plerique duces Iaponiam petant, quo in militaribus scholis erudiantur, ac suos deinde valeant militiae artem docere.

★

Interea in Philippinis insulis Aguinaldo, patriae libertatis contra Americanos fortissimus adsortor, quamvis plures victus ac ab Otis americano imperatore in fugam versus, indefesse tamen luctatur. Mox post Malolo urbem captam ac incensam, sese calide fugae tradidit, abdiditque internas in silvas ac inter montes patrios, ubi copias colligat, ut bellum redintegret: haec omnia dum de Carolinis insulis postremo Germaniae cedendis Iberia consilia agitat; quae tamen suprema ad renuncianda nondum inducitur respublica, cui imo civilis etiam belli metus magis in dies crescit.

De insulis Samoa denique exortae simul discordiae inter Americanos, Anglos ac Germanos, quorum postremi Mataafae perduellum duci favebant, ceteri adversabantur, sedatae pariter audiuntur, quamvis classis anglo-americana Apiam urbem ignivomis iam proiectilibus incendisset. Sunt tamen consentientibus omnibus arbitri ex singulis gentibus selecti, qui belantes insularum populos tripertinent et Upolo et Apiam urbes Germaniae, Sawai Angliae, Tutuilam Americae tribuant.

★

Ibericae sorti haud absona Graeciae fata videntur, in qua iam supremus rerum curator Zaimis munus abdicavit, neque facile vir reperitur qui civili discordia agitato populo validus esse dux queat.

★

Italiae ultimum locum reliquimus: regi Sardiniam insulam his diebus lustranti, in Calaritanum portum obviam venerunt salutariae anglica classis simul ac gallica, quarum occursus Africani proxime initi foederis veluti sanctio appetet, ac simul renovatae nuper Galliae ac Italiae amicitiae fidele signum.

★

Summi Pontificis bona valetudo, quidquid contra malevoli calumniantur, omnino recuperata dicens est, cum ipse supremus Pastor rursus iam sacros magistratus et nonnullos etiam laicos homines, qui eum visendi gratia adierunt, imo et eminentissimorum cardinalium coetum gratulante atque omnia bona ac felicia augurantem in suis aedibus absque gravi labore reperit. Praeterea ex eiusdem Patris amantissimi voluntate, die huius mensis aprilis XVI in Vaticana basilica, ut solemnis missa adstante ipso Pontifice celebretur, statutum est, cuius tandem aspectu romanae fidelium multitudini recreari licebit.

POPULICOLA.

QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

I.

Quanam lingua scriptum: "Mane, Tekel, Phares,?"

MINACIA illa, et impendentis nuncia necis ultimo Babylonis regi verba, a iuvene Daniele explicata, e syriacis idiomatibus sumpta creduntur.

Mihi tamen illa verba non videntur fuisse tam proxima idiomatibus Chaldaeorum, et linguae cuivis babylonicae affini, quum tot inter sapientes nullo modo inveniretur qui conclusum in illis aperiret oraculum, prout legitimus in Scripturis.

Quid ergo si verba illa e prisca latinitate deriventur coaeva temporibus Balthazar?

E lingua longe lateque remotiore sumpta, satis superque difficultia intellectu erant tunc temporis gentibus orientales regiones habitantibus, quibusque cum Latio nullum colloquium. Videamus.

Mane te cellet Phares.

Hic *mane* idem est quod *cras*; quod fieri posse constat, quum in antiquissimo vulgo italico et in Latio habeatur *de-mane, è-mane, domani*, idem ac *cras*.

Cellet verbum antiquum est, quod integrum servatur in compositis: *percello, perculti, percellere; antecello, excello*, in quibus, in *percello* praesertim, idem est ac *ferire fortiter, per-fere*; in *antecello* autem et *excello*, idem est ac *superare*.

Phares est clarum nomen Persarum, apud vulgus retentum adhuc; nam non *Persae*, sed *PARSI* dicuntur.

Argumentum igitur absolvitur: *CRAS* (proximo mane), *PERSA te FERIET* (*percutiet, superabit, interficiet*). Quod quidem Balthazar illi (rectius: Labyneto) contigisse quoque constat.

Res forsitan absurdia non est eo, ut doctorum virorum oculis et mente indigna videatur.

Varsaviae Polonorum.

L. W. SZCZERBOWICZ.

EPHEMERIDUM SCRIPTORUM CONVENTUS

ROMAE CONGREGATUS

His proxime elapsis diebus in almam Urbem quatuor supra quadringentos ephemeridum scriptores undique gentium profecti, de rebus ad suam ipsorum artem spectantibus pertractatum convenere. In Capitolio colloquia habita sunt, in quibus multa de ephemeridum iuribus ac libertate, atque de commutandis inter omnes gentes humanarum mentium operibus disputata statutaque sunt.

Placet hic oratiunculam illam salutatoriam, quam summus italicorum studiorum curator, Guido Baccelli, iis qui conventus participes fuerunt, inter Palatini ruinas, latino sermone habuit, integrum referre:

Clarissimi viri,

Hic, ubi septem et viginti abhinc saeculis Romulus aeternae urbis fundamenta constituit, mihi et officii et muneres esse sentio illo vobiscum idiomate uti, quod in augusto colle hoc, quasi flamen circumvolans, ex columna, arcibus, marmoribus infractis aeternum pererrat et perflat, redditque verba Quiritum.

Si quisque vestrum, in humanitatis proelio, cum tuba altum sonum effundente queat comparari, vos omnes in hunc amicum conventum delegati harmonicum concentum omnibus refertum numeris efficeritis, cui theatum isto nobilius nusquam poterit reperi.

Faustum ergo felisque sit.

Bonas artes et omnigenas doctrinas vivissimo amore prosequendi commune propositum esse debet, ut hae societati universae, coniunctis omnium viribus, benevolent.

Quapropter vos natione, civitate, lingua disiunctos, unum concordiae et amoris imperium consociet, dum ad primigeniam bonorum fontem remeantes, novissima virtute roborati eritis discussuri.

Urbs immortalis, quae gnara fatorum vos excipit advenientes, commorantes amplectitur tanquam viros civitate donatos. Cruore enim oblio, quem furialis ira Martis olim effudit, inter haec fatalia rudera, sua quisque monumenta nactus, celebrat civilitatis initium, qua hodie, arciore vinculo obstricti, omnes populi extentum vivent in aeum.

Vobis demum, qui per orbem terrarum humanitatis iura tuemini, Roma juris universi parens et altrix e colle Palatino saluteum, victoriam laeto corde ominatur.

Concilio autem dimisso, pergrati hospites Urbis monumenta, atque Albanos Tusculosque colles inviserent; deinde principes Italiae civitates petierunt, praecipue Neapolim et Pompeios, ubi, iis ut honor tribueretur, nonnullis partim adhuc sepultae urbis effossionibus, ipsis adstantibus, opera data est.

Proximus ephemeridum scriptorum conventus ad annum MDCCC, Lutetiis Parisiorum, comuni sententia indictus.

SCRIBA.

AENIGMATA

Amicus vectus *integro*, cui Dempserat
Caudam, me laetus in *secundum* sustulit,
Et morae causam curiosus *principe*
Verbo sciscitabatur comis hospitem.

★

Masculus, immineo pelago: si *foemina*, campis;
Neutrum, sum fructus. Vox inimica Deo est
Quarta sonans pariter; *quintam* dum voce ciebis,
Singula, pree reliquis desiderata, leges.
Sic, nomen verbumque simul me habuere Quirites,
Quinque notis tantum nomina quinque ferens.

GRYPHUS.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

LES CHINOIS CHEZ EUX

par J.-B. AUBRY.

Aenigmata an. II, n. IV proposita his respondent:

1. Sacra-mentum.

2. Mus-tela.

Ea rite soluta miserunt:

A. de Aguiar, Ed. Bianco, Fr. Xav. Reuss, Roma; Cl. Allagnat, *Gratianopoli in Gallia*; Ver. Cariolato, *Vicentia*; Principal Gordon, *Manchester in Anglia*; Aem. Chatelain, *Parisii*; Ant. M. Grasselli, Archiep., *Viterbo*; Senior, Mediolanensis Ioan., *Maris Langbardorum*; Aug. Narquet, *Montlieu in Gallia*; H. A. Strong, *Liserpalo in Anglia*; Abr. Morchio, *Genua*; Aug. Sordet, Fr. Littner, *Uvrier in Helvetia*; Ant. Deigendesck, Ios. Vykovak, *Sekkau in Styria*; Cyr. Zucchetti, *Caravaggio ad Bergomum*; Io. Waters, *Dublino*; Ant. Jaklic, *Tergeste*; Ad. Artioli, *Ferraria*; M. Loyola, *Chicago Ill.*, Ios. Rainer, S. Francisco, Inc. Sullivan, *Brooklyn, in civit. foederat. Americae sept.*; Nic. Stella, *Auxano*; Ioan. Sobczynski, *Wloclawek in Polonia*; A. Huzza, *Grybow in Galicia*; D. Macrae, *Mause Lairg in Caledonia*; Cas. Meucci, *Neapoli*; Petr. Monti, Episc., *Tibure*; B. Campanelli, *Reate*; Fr. Xav. Brühl, *Valkenburg in Batavia*; Io. Bapt. Etschenberg, *Albano*.

Sortitus est praemium

CAESAR MEUCCI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

HISTOIRE DE L'ART CHRÉTIEN

AUX DIX PREMIERS SIÈCLES

par l'abbé F. R. SALMON.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.